



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dominicas Per Annum

Höger, Franz


Ingolstadij, 1726

VD18 90197089

Dominica III. post Epiphan.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53055)

THESIS XX. *Vocatus est autem*
& JESUS. Joan. 2. v. 2. Vocandus est
nempe JESUS. I. in Electione. II.
in Desponsatione. III. in Societate. *id.*
Ibid.



DOMINICA III. post EPIPHAN.

THESIS I. *Domine non sum dig.* *Humilitas.*
nus. Matth. 8. v. 8. Humilitas
habet vim. I. Attrahendi. II. Au-
gendi. III. Conservandi Gratiam.
Vivien. Tertull.

THESIS II. *Domine, si vis, potes.* *Fiducia.*
Matth. 8. v. 2. Tria requiruntur ad
fundandam spem, & fiduciam in aliquo.
I. Quòd possit. II. Quòd sciat. III.
Quòd velit juvare. hæc omnia utique
in Deo videmus.

THESIS III. *Accessit ad eum Cen-* *Charitas*
turio. Matth. 8. v. 5. In Domo Dei *proximi.*
qui alienum, idem proprium negoti-
um curat; sibi enim invenit, qui aliis
quæ-

quærit. *Didacus Nissen. feria 3. post Cineres, Perioch. 2. & 3.*

Perfectio. THESIS IV *Non inveni tantam fidem Matth. 8. v. 10. Tria signa dantur magni in via Virtutis profectus. I. Sicut Viatores, quantum in itinere processerint, ex eo metiri solent, si locus, à quo discesserunt, ipsis minor appareat, e contra locus, ad quem properant, major oculis suis videatur; ita sibi Creatura, à qua discedis, minor & Deus, ad quem accedis, major tibi appareat, multum viæ in perfectione confecisti. II. Sicut pulsus arteriæ ordinatus vitæ sanitatem indicat, ita idem vitæ ordinatæ tenor, sibi in bono semper constans, Perfectionem. III. Sicut emplastrum, quò difficilius abstrahitur, arctiorem adhæsiõnem, quam habuit, demonstrat, ita, quò difficilius animus ab oratione & devotione ad Mundi negotia abripitur, tanto majorem cum virtute conjunctionem exhibet.*

Humilitas. THESIS V. *Domine non sum dignus. Matth. 8. v. 8. Diversa genera sunt sese humiliantium. Est, qui nequiter humiliat se Eccl. 19. v. 23. I. Aliqui sunt*

sunt humiles, quando illis omnia bene succedunt, si autem tetigerit eos manus Domini, excandescunt, & statim ponunt os suum in coelum. II. Sunt, qui se humiliant, ut ascendant. III. Aliqui se humiliant, ut evadant: impetu enim venti quercus frangitur, quem calamus evadit. IV. Aliqui se humiliant verè, & semper. Prima ergo humilitas est domestica; secunda erratica; tertia Sophistica; quarta Dominica. Item 1.^a Naturalis. 2.^a Volatilis; 3.^a Versipellis; 4.^a Admirabilis. Petrus Bles. Serm. 3. in Festo S. Nicolai.

THESIS. VI. Domine non sum dignus. Matth. 8. v. 8. *Communio.* I. Sunt, qui prætextu, quod non sint digni, se indignos quotidie faciunt Sacrae Communionis. II. Alii sunt, qui eo sensu, quod non sint digni, se dignos faciunt Sacrae Communionis. Dicendo se indignum, præstitit dignum. S. Aug. Serm. 6. de Puero Centurionis Matth. 8.

THESIS VII. Domine non sum dignus. Matth. 8. v. 8. Quasi diceret: non sum dignus, ut intres sub tectum meum: propter quod & me ipsum non dignus.

D

dig-

dignum sum arbitratus, ut venirem ad te. Luc. 7. Hinc colligo, aliud esse I. hominem esse dignum, ut Christus veniat ad ipsum, II. & aliud, ut ipse veniat ad Christum. Primum ex his nunquam erit; alterum tamen erit, si sit in statu Gratiae; in quo non videretur fuisse Centurio adhuc Ethnicus, sicut nec illa, cui Christus dixit: non esse bonum sumere panem filiorum, &c.

*Accessus
ad Christi-
stum.*

THESIS VIII. *Accessit ad eum Centurio.* Matth. 8. v. 5. Triplex via accedendi ad JESUM. I. Prima est Oratio, Rogans eum. II. Secunda est Humilitas, Domine non sum dignus, &c. III. Tertia est Fides, tantum dic verbo, & sanabitur. Prima via ad liberalitatem; *Veniam, & curabo.* Secunda ad laudem: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Tertia ad familiaritatem ducit: *Dixit JESUS ad Centurionem.* Durand. Doct. Theol. in Charact. Sanctor. part. 2.



DO.